DE

CHLOROSI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. MARTII A. MDCCCL.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Maximilianus Schmidt
GORLICIENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. BÉGUIN, med. et chir. Cand.
A. VOGEL, med. et chir. Stud.

BEROLINI,
TYPIS B. SCHLESINGER.

PATRI OPTIMO

NEC NON

AMICO

ALFREDO VOGEL

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Inter morbos sexus sequioris vulgatissimos, qui criticae ejus periodo, nimirum invalescenti functionum sexualium vigori, superveniunt, Chlorosis jam antiquitus cognita et ab Hippocrate commemorata referenda est.

Observationes statisticae, quarum summam in universa medicina dignitatem recentiores demum probe intellexerunt, frequentiam hujus morbi, qui in gynaecologia haud infimum locum tenet, nuperiore praecipue aevo mirum in modum crevisse, docuerunt. Quae res in facto posita, etsi haud laeta, notatu tamen digna est, cujus intimam rationem nonnisi vitae cultusque conditionibus, quibus tota hominum societas nostro tempore obsequitur, interpretari licet. Incrementa enim hujus morbi gravitatem atque efficacitatem nobis persuadent, quam vita socialis universa in morborum generis humani evolutionem exserat. Ut in hac sola morbi forma, Chlorosi, subsistamus, adnotare oportet, tam in educatione complicata nimisque artificiali, vitae ratione parum congrua et naturae consentanea, emollitione et effoeminatione corporis muliebris inter hominum ordines superiores, quam in pauperie et egestate augescente ordinum populi inferiorum, quorum liberi, a partu inde inopia

pressi, evolutionis somaticae sumtibus victum sibi quaerere praemature coguntur saepeque rebus ad vitam maxime necessariis destituuntur, uberrimum cerni fomitem, quo morbi chlorotici processus constituatur. Proinde uterque vitae socialis polus oppositus, luxuria et egestas, ad condendum morbi ejusdem focum consociatur. Nuperrimum aevum denuo attentionem ad Chlorosin advertit. In Anglia enim, mediis saeculi tempestatibus, quum de insolita hujus morbi frequentia in officinis anglicis relatum esset, a secunda Parlamenti sectione decretum est, ut conditio mercenariorum, inprimis juventutis muliebris, revisioni submitteretur et in melius verteretur. Germani huic sexus sequioris hosti prophylaxin opponere coeperunt, ita ut corporis exercitationes, artes gymnicae, quae antea tantum puerorum erant, etiam puellis imperarentur. Quod ad medicas res attinet, scientia, magis magisque increbrescente Chlorosi excitata, tam physiologiae quam pathologiae multum lucis affudit, quare non perperam agere nobis videmur, si illam pro morbo nova attentione digno habeamus, qui, indole et curandi methodo jam dudum cognitis, ut putabant, longius per tempus taciturno quasi omnium consensu non amplius disquisitione et disputatione indigere existimaretur.

Quod primum ad evolutionis et introitus periodum pertinet, Chlorosis iis adnumeranda est morbis, qui non uno impetu irruere, sed gradatim et tam lente excoli solent, ut medici, qui inter diathesin et opportunitatem et morbum proprie dictum, inter morbum fientem et

factum distinguunt, difficillime limitem constituere possint, quo diathesis in exquisitum morbum transeat. Hinc evenit, ut prima et propria periodus morbi chlorotici saepe ignoretur, imo ipsae aegrotantes initium ejus ab illo tempore repetant, quo primum symptomatibus molestis, vel singularibus vel compluribus, tentari coeperunt. Quum idem esse soleat tempus, quo medicus in auxilium vocatur et generalia quaedam, ut pallor, animi intemperies, inertia, anorexia, ab aegrota ejusque familiaribus referuntur, stadium praeparativum facillime medicum praeterfugit, nisi medici familiaris munere fungitur. Raris in casibus morbosae perturbationes, praegressa quadam causa singulari, subito ad summum evehuntur gradum, quo facto causa modo memorata, etiamsi aegrota jam dudum dispositioni obnoxia fuerit, pro momento efficiente seu causali habetur. Tum enim caussae, quae catameniorum introitum offenderunt, ut perfrigerium, pedum madefactio aut totius corporis, saltatio, stomachatio etc. magnas partes agunt. Neque minus Chlorosis secundaria e morbis praegressis, v. c. e suppressis exanthematibus, febribus typhosis etc. saepius prodiit, eo inprimis tempore, quo medici Galli et Poloni, systematis Broussaei sectatores, duce Bouillaud hunc morbum Vampyrismo impugnabant. Aliquanto facilius morbi chlorotici indicia, seu diathesin chloroticam, apud puellas constitutione scrophulosa, lymphatica, nervosa imbutas dignoscere licet, quippe symptomata morbosa haud raro vitae anno octavo aut decimo jam apparent: puellae non crescunt,

corpus non evolvitur, interdum fluor albus accedit, color chloroticus evadit, mox etiam reliqua sanguificationis inhibitae signa in conspectum prodeunt. Haec de introitus tempore incerto et formationis periodo praeparativa, cujus character generalis tantummodo anomaliis haematopoëseos, consumtionis, circulationis sanguinis manifestatur, sufficiant. Si ad certum morbi introitum respicimus, vulgarem opinionem, quae Chlorosin tum maxime accedere statuit, cum prima immineant catamenia, repudianda videtur, statistice enim medica argumentatur, majorem aegrotantium numerum a duodevicesimo ad undevicesimum aetatis annum occurrere morbique frequentiam ab anno decimo septimo ad vicesimum maximam evadere, itaque perfectam ejus evolutionem summamque intensitatem in illa vitae periodo observari, qua menses, nostris in regionibus plerumque inter vitae annum decimum quartum et dec. septimum apparentes, jam dudum fluxerunt.

Causa, quod Chlorosis fastigium inde ab anno decimo septimo ad vicesimum assequitur, pluribus in rebus cerni videtur. Quo tempore systema respiratorium in functionum organicarum serie principatum tenet, sanguinis arteriosi praeparatio praevalet omniaque organa multum accipiunt et consumunt, etiam systema sexuale majorem sanguinis portionem appetit, et si causa quaelibet debilitans sanguinis, cujus impensae modum longe excedunt, penuriam inducit, facile explicatur, cur eo tempore, quo tot momenta evolutioni favent, Chlorosis irruat. Quemadmodum enim in aliis, ita etiam in hoc

casu pubertatis periodus gravissimam cum Chloroseos pathogenia necessitudinem alit, quippe efficacissima metamorphosis non modo systematis vegetativi et nervosi, sed totius organismi muliebris emergit, omnes hujus organismi vires intenduntur et, ut Sieboldii verbis utar, totius systematis sexualis centrum, uterus, qui eo usque vegetativam tantum vitam egit, summum actionis reciprocae in organismo vehiculum fit; — en! seminia magni morborum corpus muliebre infestantium gregis.

Haud parvi momenti in proferenda chlorosi injuriae atmosphaericae et geographicae sunt. Processus morbi chlorotici regiones septemtrionales atque temperatas amat; anni tempus frigidum magis quam calidum ei favet; crebrius etiam Chlorosis, vel recidiva, vere et exeunte autumno, quam aestate hiemeque intrat; porro regiones littorales magis quam mediterraneae, vita urbana magis quam rustica introitum ejus adjuvant. Prae omnibus Chlorosis regiones humido frigidas, paludosas, humidas, celeri temperaturae vicissitudini obnoxias, febrium intermittentium miasmate opulentas, diligit. In urbibus praecipue adgreditur scholas maxime frequentes omniaque instituta ingente hominum numero obruta. Ubi causarum relatarum plures concurrunt, Chlorosis creberrime emergit, ut in Anglia, cujus flavicomae puellae foeminaeque omnes indicia quaedam chlorotica prae se ferunt, maxime Londini, ubi in officinis innumeris puellae mercenariae ab horis matutinis ad vespertinas in spatiis hominum plenis, aëre pravo inquinatis, positione corporis molesta sanguinis circuitum inhibente, operam

faciunt, vespere autem ad domicilia aut cubicula magis insalubria redeunt. Frequens etiam Chlorosis est in Gallia, Hollandia, Germania (maxime in principatu Zollerano-Sigmaringensi), in regionibus dithmarsicis Italiae, ubi teste Forster mater de filia chlorotica ingenue narrat „a l'amore". Crebro Chlorosis per humiles et uridas Carolinae plagas diffunditur, cujus incolae a finitimis montanis Argilophagi appellantur, quem ad usum libidine chlorotica compelluntur. In planis quoque Indiae et in Formosa insula Chlorosis occurrere traditur.

Quibus causis generalibus singulares adjunguntur disproportiones incitamentorum vitalium, quippe quibus perturbationes somaticae, praesertim impedimenta vel offendicula haematopoëseos normalis, efficiantur. Hoc quidem de luxuria et de pauperie dicendum est; saepe vitae ratio subito mutata Chlorosi causam suppeditat, v. c. transitus repentinus a vita laboriosa ad otiosam, a vita rustica ad urbanam, a vitae securitate ad anxiam futurorum curam.

Plurimum ponderis causis psychicis tribuendum est, et quidem gravissimum momentum systematis mulierum sexualis, amor, maximas partes hic agit. Hoc perpetuum foeminarum desiderium, quod e teneriore organisatione, ex vita placidiore, nervea et contemplativa, ex motuum ambitu minore profluit, in hujus morbi evolutionem singularem, efficacitatem exserit, quae medici attentionem haud praeterfugiat oportet. Quod vitae muliebris intimae productum, si cum energia evolutum, deinde offen-

sum et inhibitum, affectionum somaticarum fontem exhibet, ferri et chalybis efficacitatem eludere solet. Obiter tantum ob spatii angustias inter momenta pathogenetica refero abusum aut defectum (e. gr. apud viduas) incitamentorum sexualium, animi pathemata deprimentia, ut nostalgiam, luctum, curas, zelotypiam, fabularum Milesiarum lectiones cet. Ex singulari momentorum sexualium somaticorum et psychicorum mechanismo conspirante aetiologiae fundamentales lineae reliquae pro variis casibus colligi possunt. Quod ad praxin hoc caput magnae dignitatis est, quippe quo duce curatio causalis viam suam, saepe admodum intricatam, persequatur necesse sit.

A morbi genesi ad describenda ejus symptomata me accingo, ita quidem, ut singulorum symptomatum in variis organismi provinciis obviorum expositioni generalem morbi effigiem praemittam, quae magis minusve exquisita lineamentis quibusdam communibus, dummodo a varietatibus nonnullis discedas, adumbrari potest.

Anaemiae character ubique evidenter se manifestat; decoloratio, pallor cereus, per totum corpus diffunditur. Facies, quae pallorem prae omnibus partibus perspicue exhibet, modo colorationem albo splendentem, modo luridam, modo ceream, paulo flavescentem, interdum ictericae similem, imo leviter viridescentem, prae se fert. Quae coloris varietates utplurimum ab individua pigmenti formatione pendere videntur: foeminae capillis nigris ornatae pallorem subluteum, flavicomae magis pellucidum obtinent. Nemo amplius diffitebitur, phaenomena

illa ab oligaemia et pellucente sanguine cruoris inope per vasa capillaria proficisci. Ingeniose Marsch demonstravit, sanguinis corpuscula parca serum non rubro sed flavo colore impertire, unde quidem flavescentem chloroticarum colorationem repetendam censet. Fortasse etiam vasorum capillarium parietes vel crassiores vel tenuiores symbolam suam conferunt. Pallori cutis externae, quae turgoris expers, laxa et frigidiuscula, uti cutis animalium frigidi sanguinis, invenitur, decoloratio non minus peculiaris tunicarum syndesmoidearum et mucosarum adjungitur, quae indole pallida, exsangui labiorum, faciei internae buccarum, cavi oris et palati, gingivarum, linguae complanatae etc. se manifestat et eo efficitur, quod tunicarum mucosarum systema, carens vasorum ubertate solita, actione respiratoria, quam Henle vocat, distituitur, cui quidem et sanguinis oxydationi vegetae, in vasis capillaribus numerosis per aëris atmosphaerici contactum inductae, ruborem solitum debet. In temporibus subsidentibus, in collo, manibus per integumenta cutis tenuia, transparentia, venae cutaneae pallido roseae, nunquam turgidae, sed collapsae, conspiciuntur, quae aquam pigmento carmineo leviter tinctam vehere videntur. Oculi splendorem margaritaceum languidum exhibent, vultus etiam languet. Persaepe sclerotica tenuis ob transparentem chorioideam colorem coerulescentem offert; caruncula lacrymalis et tunica conjunctiva pallent; palpebrae saepenumero, inprimis matutino tempore, colore fusco notatae; circa palpebram inferiorem, propter inflationem telae con-

junctivae subinterstitialis regionis infraorbitalis serosa intumescentia conspicuam, annulus varii coloris, a coeruleo inde ad violaceum, apparet. Chloroticarum nasus, si corpora pastosa excipimus, generatim tenuis et acutus, alae narium tenuissimae et pellucidae, aures parvae et pallidae, labia pallida et tenuia, cutis tenera, utplurimum frigidiuscula, fere pellucida, ungues tenues, pallidi, saepe rimosi esse solent. Carnes laxae sunt, artus saepe oedemate obsessi, pulsus frequens, morbo exquisito ad ictus 120—140 acceleratus, ceterum parvus, tremulus, mollis, compressu facilis, quandoque tamen durus, tensus ideoque fallax. Totum aegrotantium animum plerumque apathia et melancholica intemperies occupant. Amor solitudinis, somnolentia, capitis dolor, plerumque occiput tenens, cordis palpitationes post unumquemque corporis motum, omnium laborum fastidium, continuae horripilationes, vel calidissima tempestate, vulgaria sunt symptomata, quae medico primum hoc in morbo se obtrudere solent.

Syndrome symptomatum, quae retulimus, externam Chlorosis effigiem generalem constituit, attamen formae huic generali tot ac tam varia phaenomena, functionum internarum aut systematum perturbationes contestantia, subordinantur, ut modo singularis eorum expositio perfectam imaginem hujus morbi, Proteo saepe mutabilioris, suppeditare nobis queat.

Primum in symptomatologia locum systematis nervosi alienationes sibi vindicent. Phaenomenon maxime eminens, quod huc pertinet, jam antea commemoratus

languor, dedolatio, inertia, constituit. Physiologica hujus phaenomeni causa in propinquo esse videtur: quum enim sensatio virium normali excitatione nervorum motoriorum per sanguinem sanum corpusculis opulentum nitatur, sanguinis crasis, quae in inopia cernitur, functionum motoriarum inertiam inducat necesse est. Etiamsi autem concedamus, corpusculorum sanguinis inopiam et seri abundantiam ad essentialia diathesis chloroticae attributa pertinere, tamen illi casus hoc modo non explicantur, in quibus menostasia sine tali sanguinis mutatione jam perspicua easdem affectiones evocat. At functionum motoriarum inertia plerumque non tantum ad musculos voluntarios, sed etiam involuntarios pertingit et propensionem ad alvi obstipationem apud chloroticas obviam eo magis ex eadem causa derivare licet, quod alias adaucta tunicae intestinorum mucosae secretio contrarium effectum induceret. Eidem symptomatum gregi, quod ad causalem conditionem et dignitatem attinet, somnolentia chloroticis propria adnumeranda est. Quo magis aegrotantibus huic indolentiae indulgendi venia datur, eo magis ea obruuntur, quae mox infaustam efficacitatem in totius organismi temperiem exserit. Eodem animi indifferentismus et passivitas spectat: quemadmodum enim aegrotantes corporis labores perhorrescunt, ita etiam animi exercitationes fastidiunt et omnia repudiant, quibus alioquin delectari solebant.

Causa omnium phaenomenorum diminutam nervorum systematis centralis energiam indicantium essen-

tialis a defectu efficacitatis sanguinis vivificantis in cerebrum et medullam spinalem deducenda est; praeterea vero alia symptomata nervosa adjunguntur, quorum causam ex alio forsan fonte repetere licet. Innuo nempe cephalalgiam chloroticis propriam, vertiginem, aurium susurrum, oculorum scintillationem, quae perperam saepe sanguinis congestioni imputantur. Cephalalgia, vel totum caput, vel frontem, occiput, regionem temporalem adgreditur et modo capitis temulentiam, modo sensum obtusum prementem, modo pulsantem exhibet, modo noctu tantum cum somniis terrificis accedit. Vertigo, erecto vel agitato corpore saepe habitualis, situ horizontali interdum tollitur. Aurium capitisque susurrum quod attinet, Oppolzer causam in perceptione strepitus venarum collocat atque rem eo probat, quod, quamdiu venae jugulares digitis comprimantur, susurrus deficiat, sublata autem compressione redeat. Idem observavit, susurrum illum, si venarum strepitus in alterutro tantum latere exstaret, eodem latere limitari. Quae observationes, fortasse aliis etiam sub conditionibus ad susurrus aurium causam referendae, novam ei lucem aliquando affundere possunt. Simili fortasse ex causa physiologica cephalalgia, oculorum scintillatio, imo vertigo chloroticarum deduci possunt; nonne enim effigies esse queunt propagationis et perceptionis insolitarum vibrationum parietum venarum? id quod probabilius redditur eo, quod haec symptomata plerumque conjuncta simulque cum venarum strepitu occurrunt et analogi quidquam, vibratorii, ut ita dicam, ostendunt.

Experimenta continuata nos edocebunt, quanam ratione venarum jugularium compressio haec symptomata modificare valeat. Improbabile autem non est, vibrationes vasorum choroideorum subtilium oculorum photophias et scintillationes efficere posse. Quibus expositis, ad systematis vasorum symptomata animum advertamus. Praecipue hujus systematis mutationes morbosae apud chloroticas ex eo tempore, quo ex perfectiori analysi organico-chemica, ex diagnosi physica et anatomia pathologica nova lux in scientiam medicam redundavit, novam omnium attentionem excitarunt. Color aegrotarum pallidus, sanguinis species externa jam pridem de sanguinis inopia, de aquosa et tenui ejus indole, concludi jusserunt; porro ex juvantibus, i. e. e salutari ferri effectu penuriam ejus atque cruoris in sanguine ratiocinati sunt medici. Chemica analysis hujus opinionis veritatem extra dubitationem posuit; numerosae disquisitiones, e. gr. a Becquerel, Rodiers, Corneliani, Eisenmann institutae, abundantiam seri, corpusculorum sanguinis diminutionem, nec non contrariam sanguinis mutationem redeunte valetudine, comprobarunt. Attamen analysibus nondum diremtum esse videtur, utrum dictae sanguinis mutationes reliquis Chloroseos symptomatibus praecedant, an morbus simul justaque cum iis proportione evolvatur, num sanguinis mutatio demum secundaria ad Chlorosin accedat? porro qualis sit ejus ratio cum involutione aliorum morbi phaenomenorum, num Chloroseos exempla sine illa sanguinis mutatione occurrant, quae demum extrema ejus causa sit? Disquisitionum in posterum instituendarum est,

has quaestiones dirimere. Mira sane diversitas eorum est, quae ex analysibus redundarunt, nec non ingens differentia inter maximam et minimam sanguinis corpusculorum copiam, quippe quae, quum ratio normalis 127 : 1000 sit, in Chlorosi ab 100—28 : 1000 variet, quae tamen proportio non semper summis et infimis Chloroseos gradibus respondere videtur. Etiamsi summus cruoris defectus semper cum magna reliquorum anaemiae phaenomenorum intensitate consociatur, tamen haec interdum non mediocrem gradum adipisci videntur, quin debita copia corpusculorum ex area sanguinis, quem normalem existimamus, exemta sit. Imo chloroticae exquisitae occurrunt, quarum color faciei floridus morbum suspicari non pateretur, nisi alia symptomata ejus praesentiam vindicarent. Quodsi meditamur, in aliis quoque morbis, e. gr. in typho, secundarie demum corpusculorum sanguinis copiam progressive decrescere, nonne similia in Chlorosi evenire et cruoris decrementum in augescente seri portione et corpusculorum solutione hoc modo inducta cerni potest? Quod ad physica symptomata hoc in morbo attinet, omnes fere chloroticae cordis palpitationes conqueruntur. Non raro medicus dignoscendi peritissimus ambiguus haeret, numne de organico cordis morbo agatur. Palpitationes interdum posse deficere, si alia mutatae vasorum actionis symptomata exstent, partim ex conditionibus ad percipiendas palpitationes necessariis, v. gr. e thoracis capacitate variis in casibus varia, explicatur. Cor thorace angustiore inclusum pal-

pitationum vehementiorum sensum inducere potest, quam quod thoraci ampliori insidet.

Chloroticarum palpitationes jam dudum notae sunt, minus diu autem et minus accurate alia phaenomena, quae physica exploratione in corde observantur. Saepe enim simul impulsus dextri et sinistri cordis, rarius sinistri solius adauctus est; subinde quodvis impulsus augmentum desideratur; nonnunquam sinistri cordis impulsus minorem undam, quam dextri, imitatur. Cordis strepitus plerisque in casibus per totum thoracem diffusi in parte adeo postica audiuntur sonoque claro insigniuntur, qui ad verum sonitum evehi potest. Jam palpatio regionis cordis haud raro susurrum manifestum (Fremissement cataire) offert, saepe praeter sonos normales circa varia cordis ostia strepitus anomali (a folliculari inde ad limatorium usque) percipiuntur, inter quos tamen cordis soni plerumque discernuntur. Actionis cordis anomaliae eo graviores sunt, quod tempus haud diu praeteriit, quo omnes strepitus cordis anomali pro certo morbi organici signo habebantur eamque ob rem sanguinis detractionibus, digitali, inedia etc. aegrotorum pernicies inducebatur. Medicus ergo quam maxime ab errore sibi caveat necesse est, eo magis, quod non modo organici cordis morbi ex Chlorosi nonnunquam evolvuntur, sed etiam cum symptomatibus Chloroseos similibus quandoque consociantur. Crebriores tamen casus esse videntur, in quibus primarius cordis morbus organicus Chlorosin imitatur, i. e. cum anaemiae symptomatibus apparet, quam illi, in qui-

bus ex primitiva Chlorosi cordis affectio organica emergit.

Proinde anomalas cordis actiones in Chlorosi probe examinari et discrimina ab iis, quae in morbis cordis vere organicis occurrunt, internosci necesse est. Pauca tantum de hac re apponam.

Jam conjunctio aliorum Chloroseos symptomatum cum cordis palpitationibus harum naturam indigitat. Morbosa regionis praecordialis fornicatio, quae in cordis hypertrophia excentrica adesse solet, ne vehementissimis quidem palpitationibus chloroticis supervenit, imo nonnunquam repugnantia quaedam inter modum, quo aegrotae palpitationem describunt, et inter mediocrem impulsus gradum intercedit. Neque magis palpatio et percussio veram cordis amplificationem cognosci patiuntur, quae valvularum vitiis respondeat, si ab his strepitus anomali pendeant. Illud etiam, quod strepitus anomali saepe simul in pluribus cordis orificiis et semper quidem inter systolen audiuntur, quod proprios cordis sonos raro penitus obscurant, quod similes strepitus in arteriis et venis observantur, reliqua autem symptomata in morbum cordis organicum parum quadrant, diagnosin haud mediocriter dilucidat. Evidentia major redditur, si venaesectio docimastica palpitationes et strepitus celeriter adauget, incitamenta autem, ut naphtha, ferrum etc. contrarium effectum exserunt. Mirae et fortuitae vicissitudines palpitationum et strepituum, quod ad intensitatem pertinet, haud minus ad affectionis cordis chloroticae criteria referen-

dae sunt. Interdum cordis strepitus quisque disparet, si aegrota situ quieto horizontali aliquamdiu usa est.

Arteriae aeque ac cor sedem strepituum in Chlorosi exhibere possunt, neque tantum carotides, sed etiam cruralis, brachialis, imo radialis. Hos strepitus non modo a corde propagari, sed in ipsis arteriis, quo loco audiuntur, oriri, parietum vascularium vibrationes, quae tactu simul sentiuntur, comprobant; pulsus vibrans in Chlorosi haud rarus, saepe exquisitus est. Praecipue plenitudinis sensu, quem efficit, seducere medicum et plethorae suspicionem excitare potest; pulsus tamen plenus, qui videtur, semper facile comprimitur. Multo frequentiores multoque magis exquisiti venosi strepitus apud chloroticas occurrunt et a multis medicis pro signo pathognomonico anaemiae aut oligaemiae habentur.

Susurrus vel cantus venarum jugularium fere nunquam deficit. Strepitus iste modo flatum modo cantum imitatur (similis aquae bullientis strepitui in urceo murrhino), continuus, remittens, intermittens est, gradu majore cum susurru digitis percipiendo, evidentissimo supra claviculam, ubi jugularis vena interna exstat. Susurrus (fremissement) saepe tantum vena relaxata sentitur, collo autem tenso evanescit. Plerumque strepitus in utroque latere, saepe in alterutro tantum, crebrius in dextro quam sinistro, non raro in altero latere clarius quam in altero observatur; modo quovis colli situ, modo tensis tantum ejus musculis animadvertitur. Spiritu altius hausto vel retento saepe protinus diminuitur, vel

plane desinit. Interdum venarum strepitus alterutro tantum in latere cum susurru consociatur. Haud raro strepitus in venis subclaviis auditur et susurrus in regione subclaviculari sentitur; sub hoc interdum flatus intermittens in carotidibus clare auditur. Quandoque venarum pulsus simul exstat. Venarum strepitus usque ad angulum mandibulae porrigi potest saepeque in jugulari externa auditur. Saepenumero inter systolen fortior, inter diastolen debilior est. Ubi cordis strepitus audiuntur, nunquam venarum strepitus deficiunt, attamen hi subinde sine ulla cordis sonorum anomalia observantur. Quemadmodum cordis, ita etiam venarum strepitus curatione aut convalescentia chloroticarum decrescunt, plerisque autem in casibus persistunt, si aegrotantes, sanitatem se recuperasse putantes, observationi se subducunt. Si concedamus, venarum strepitum anaemia saepe augeri, certum tamen est, hoc symptoma sine alio morbo multos per annos protrahi posse et hisce in casibus haud dubie immutabilibus structurae rationibus niti. Si Carrière aegrotas non prius sanatas esse judicat, quam strepitus illi plane evanuerint, magnam earum partem nunquam e curatione dimittere licebit.

Jam quaestio difficilis obtruditur, quaenam sit causa physiologica illorum phaenomenorum in vasorum systemate obviorum. Sanguinis mixtionem chloroticam, quae vocatur, sufficere, multi jam dubitarunt; quodsi persuasum habebimus, venarum praecipue strepitus diversissimis sanguinis crasibus supervenire posse, in

diminuta sanguinis densitate non amplius causam illorum phaenomenorum collocabimus. Quae de adaucta sanguinis corpusculorum cum vasorum parietibus frictione, qua efficiantur strepitus, tradita sunt, omni ratione destituuntur. Majore attentione digna est sententia de humoris gurgite contrariam directionem petente, quem Hammernigk (In der Prager Vierteljahrsschrift) pro causa strepitus venarum haberi voluit et ad structuram valvularum in vena jugulari interna reducere studuit. Canstatt etiam vibrationes inaequali rivo intra vasorum terminos effici ibique evidentissimas esse opinatur, ubi plurimae rivi gurgitantis conditiones locum habeant. Ut redeamus ad aquae bullientis cantum in urceo, qui tali causa nititur, hic etiam motus semper inaequabilis per mutatum pondus specificum partium frigescentium humoris locum habet. Origo strepituum cordis et arteriarum apud chloroticas hac ratione potest explicari: defectus energiae organorum contractilium in Chlorosi demonstratus est, quippe qui non modo aegrotarum inertia et facili defatigatione, sed etiam diminuta resistentia et laxitate musculorum se manifestat. Torporem quoque ad musculos voluntarios pertingere, supra ostendimus. Statuere licet, cor etiam et vasa, nominatim arteriarum tunicam elasticam, universae laxitati et diminutae resistentiae obnoxia esse. Pulsus plenus et mollis, compressu facilis, qualis saepe post ingentem sanguinis jacturam reperitur, hoc argumentatur. Partes, quas arteriarum contractio in promovendo sanguine sibi vindicat, nobis haud in-

cognitae sunt; quodsi sanguinis introitu inter cordis systolen arteriarum tubus expansus est, proximo temporis momento parietes elasticitatis ope super undam sanguinis sese contrahunt et ad eam propellendam conferunt. Quo validior contractio, ergo cordis impulsus, quo major parietum arteriosorum elastica contractilitas, eo promtius unda sanguinis propellitur eoque major vis rivo retrogrado, qui leges physicas gravitatis aut centrifugas sequi possit, opponitur. Talis rivus retrogradus, ut compertum habemus, valvularum cordis insufficientia exoritur, quum arteriarum contractilitas non amplius sufficiat, ut sanguinis gravitati physicae, cui orificii cordis apertura favet, debita resistentia praestetur. In Chlorosi ambo momenta ad propellendum sanguinem conjunctim agentia admodum debilitata sunt, cordis contractiones languidae, vigore destitutae, sanguis ab organo centrali non debito impetu in arteriarum tubum intruditur; verum etiam arteriarum elasticitas diminuta est, quare illae sanguinis unda impletae, reactionis expertes, in passiva dilatatione subsistunt. E diametro energiae diminutae virium propellentium gravitas sanguinis physica ejusque propensio a partibus sublimioribus versus declives relabendi principatum obtinent, quo fit, ut rivi oppositi et gurgites oriantur et foveantur, in quibus strepituum causa cernitur.

Hac ratione fortasse etiam cordis palpitationes chloroticarum explicantur, quae praecipue situ erecto et agitato corpore augentur, horizontali autem situ de-

crescunt. Cordis contractiones, ut diximus, energia carent, resistentia sanguinis versus cor e vasis regurgitantis contentiones tumultuosas organi obstaculum impugnantis, quae cordis palpitationum instar sentiuntur, evocat. Nihilominus impulsus ipse raro auctus est, quoniam contractiones, quantumvis multiplicatae, nihil energiae lucrantur.

Simili ratione, ac cordis et arteriarum, venarum strepitus nituntur, attamen in his conditiones, vorticum strepentinum et canentium originem adjuvantes, crebriores et validiores sunt. Parietum venosorum elasticitas multo minor quam arteriarum est et ad promovendum sanguinem parum confert: partim enim cordis impulsu continuato, partim musculorum motu sanguis hic propellitur. Quo debiliores venarum parietes, quo levior cordis vis propulsiva est, eo facilius strepitus in venis oriuntur, quarum apparatum valvulosum singularem et efficacitatem ad producendos vortices et gurgites sanguinis per vasa fluentis Hammernigk egregie descripsit. Dum sanguis e venis in atria deorsum irruit, vicissim autem his impletis repercutitur, facile vortices oriuntur, quorum strepitus humore ad valvularum cuspides prominentes alliso augeatur necesse est. Quodsi praeterea ventriculorum marsupia, quod saepe fit, imperfectam obturationem admittunt, novum accedit momentum, quo vortices sanguinis eo loco efficiantur. Non inepte hos strepitus ei comparaverunt, quem orbis agitatus (Nonnengeräusch) profert, nam rotatio indolem horum strepituum constituit.

Similis strepitus obtusus continuus, sive murmur, saepe totum per thoracem auditur, praecipue si aegrotae inter explorationem spiritum inhibent, murmur ei simile, quod conchis vacuis auri admotis percipitur. Frequentissime in regione subclaviculari, nonnunquam cum susurru digitis sentiendo conjunctum, observatur.

Proxime digestionis organa chloroticarum attentione nostra digna sunt.

Perturbationes multifariae sunt, partim mature accedentes, partim summas aegrotantium molestias exhibentes. Ciborum appetentia nonnunquam integra, lingua pura manet, multo autem saepius ciborum fastidium intrat, saepe tantum cupiditas pomorum aut lactucae, imo cretae, terrae, glaciei, carbonis, cerae, gypsi etc. (Pica) exstat. Mihi ipsi foemina juvenis innotuit, quae quotidie cochlear minus arenae subtilissimae saccharo mixtae hausit. Saepe omnia symptomata affectionis catarrhalis tunicae ventriculi mucosae adsunt: anorexia, sapor vappidus, amarus, nausea, vomitus, epigastrii oppressio, post coenam venter inflatus, alvus plerumque retenta. Aliis in casibus symptomata cardialgica exquisita sunt: aegrotae dolorem prementem, constringentem regionis epigastricae conqueruntur, qui paroxysmos efficit saepeque hydremesi finitur. Nonnunquam ingesta quaecunque revomuntur. Haud raro dolores pungentes regionis lienalis adsunt et percussio interdum lienis amplificationem indicat.

Quae conditiones pro parte morbi universi, non pro complicationibus juxta Chlorosin existentibus ha-

bendae sunt, quoniam nulla fere Chlorosis affectionibus hujus systematis caret et nulla omnino alteratio sanguinis gravior exstat, qua digestionis organa haud offendantur. Quod ad singulares chloroticarum libidines attinet, magis a nervorum paraesthesia, quam chemica succi gastrici mutatione pendere videntur. Nutrimenta tarde assimilantur et mole sua obruunt; saepe, quamvis status gastricus mediocris adsit, ferrum alias dyspeptum sustinetur, quoniam excitando in ventriculi nervos agit. Effectus emetici egregius his in casibus satis notus est. Saepe ventriculi intemperies hysterica est, quo in casu cardialgia omnia cardialgiae hystericae criteria prae se fert. Lienis affectio in morbo chlorotico nondum satis indigitata est. Hoc organon cum menstrua functione magnum commercium alit saepeque in amenorrhoeis et menostasiis hyperaemiae sedem praebet, quae ad ventriculi vasa protendi et haematemesin inducere potest.

Systema quoque respiratorium brevi mentione dignum est. Chloroticis facile spiritus intercipitur, pectoris oppressio et dolores pungentes superveniunt; minime tamen dyspnoea sed apnoea exstat. Ubi complicatio cum morbo pulmonum (id quod raro fit) locum non habet, exploratio physica organorum respiratoriorum perfectam integritatem indicat. Causa apnoeae verisimillima etiam in languore universali et exigua energia systematis motorii, cujus etiam musculi respirationi praefecti participes sunt, collocanda videtur. Expansio enim et collapsus tantummodo inspiratorios et exspiratorios motus sequun-

tur. Quod autem apnoea tantum accedit, si reliquum corpus movetur, eo explicari debet, quod non minus fatigationes quam motus consociantur. Momenta coefficientia haec existimanda sunt: sanguinis inopia in universum, improbabile enim non est, sanguinem attributis excitantibus naturalibus destitutum, aut copiam relative insufficientem humoris per vasa pulmonalia circumveeti apnoeam evocare; deinde sanguinis tarda propulsio per vasa pulmonalia; denique debilitata pulmonalium cellularum contractilitas, qua status emphysemati similis inducitur et pulmonum anaemia plerumque cum statu illo emphysematoso consociatur. Lienis affectio difficilem inspirationem, tussim siccam etc. causari potest. Utrum haec symptomata etiam ad pulmonem et pleuram referenda sint, physica exploratio dirimit.

Superest, ut animum ad systema sexuale advertamus, cujus phaenomena morbosa numerosas modificationes exhibere possunt. Secretio menstrua vel nondum accessit, vel semel aut aliquoties ingressa rursus evanuit, vel irregularis est et parca, vel post fluxum regularem repetitum inhibita, vel secretum sero simile, vel fluor albus exstat, aut menstruationem antecedens, aut excipiens, aut intervalla occupans, aut denique ejus vices tenens, vel demum catamenia nimis profusa sunt. Saepe menstruatio absque illa causa externa manifesta est turbata, saepe vero causa commonstrari potest, ut corporis mador, perfrigerium, animi pathema etc. Primitiva Chlorosis quoque post gravitatem subnasci potest. Non menostasiam, i. e. sanguinis menstrui retentionem,

pro Chloroseos causa habendam esse, illi casus probant, in quibus copiosa catamenia adsunt et haud dubie sanguinis jactura Chlorosin infert. Probabilius igitur est, sanguinis inopiam plerumque secretionis uterinae haud intrantis vel rursus inhibitae causam suppeditare, etenim secretio illa utplurimum sua sponte accedit, dummodo artis adminiculis contigerit, ut haematopoësis corrigeretur. Non raro, omnibus Chloroseos symptomatibus jam sublatis, catameniorum introitus aliquamdiu manet suspensus, qui quidem introitus curationis terminum indicat, quamdiu enim catamenia deficiunt, aegrotae e curatione dimittendae non sunt, si a morbo recidivo eas defendere gestiamus.

Quum mea potissimum interesset, ut pathologicam Chloroseos analysin exhiberem, i. e. omnia morbi phaenomena ad conditiones organisationi insitas reducerem, ad opusculi hujus finem propero, nam prognosis et therapia ejusmodi sunt, ut novis additamentis locupletari vix queant.

VITA.

Natus sum Maximilianus Schmidt, Gorliciensis, anno 1827 die XXIV mensis Julii, patre Carolo, matre e gente Noack. Confessioni addictus sum evangelicae. Scientiarum scholasticarum primis elementis imbutus, adii gymnasium Gorliciense, in quo octo per annos studiis ut ajunt classicis operam dedi. Doctissimis optime de me meritis gymnasii professoribus, imprimis Rectori Anton, summas ago semperque habebo gratias. Maturitatis testimonio ornatus mense Aprili anni XLV in universitatem Berolinensem me contuli, civibusque instituti regii medico-chirurgici Friderico - Guilelmiani adscriptus, per quadriennium hisce interfui Illustrissimorum et Celeberrimorum Virorum scholis.

Cel. Werder de logice et psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi et Hippocratis libris, de pathologia generali, de historia medicinae; Ill. Link de botanice, toxicologia, historia naturali et plantis cryptogamis; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Weiss

de mineralogia; Ill. Dove de physice; Ill. Mitscherlich sen. de chemia anorganica et organica et de pharmacia; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia, de splanchnologia et anatomia organorum sensuum; Ill. Joh. Mueller de anatomia universa et organorum sensuum et comparata et pathologica, de physiologia; Beat. Eck de physiologia et de therapia generali, de semiotice, de morbis contagiosis, simulatis et dissimulatis; Beat. Horn de morbis psychicis; Cel. Mitscherlich jun. de materia medica; Ill. Schoenlein et Ill. Romberg de pathologia et therapia; Ill. Juengken de chirurgia speciali; Ill. Casper de arte formulas medicas rite concinnandi, et de medicina forensi; Cel. Troschel de ossibus fractis et luxatis et de arte fascias rite imponendi; Cel. Schmidt de arte obstetricia; Cel. Boehm de akiurgia et de ophthalmiatrice.

Ad practicas exercitationes me instituerunt:

Ill. Mueller et Cel. Schlemm ad artem cadavera rite secandi, Cel. Boehm ad operationes in corporibus mortuis et ad operat. ophthalmiatricas, Cel. Schmidt ad exercitationes obstetricias, Ill. Casper ad exercitationes medico forenses et explorationes in vivis mortuisque instituendas. — Nec non interfui Clinicis medicis Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. Juengken, Ill. Langenbeck, Cel. Angelstein.

Quibus omnibus viris optime de me meritis quas possum maximas ago gratias semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi tribuantur.

THESES.

1. Non omnes morbi sanari debent.
2. Embryo non nisi defunctus perforandus est.
3. In morbis curandis non tam morbus in universum quam singuli respiciendi sunt aegri.
4. Herniarum non incarceratarum operatio radicalis rejicienda.